

¹⁰
Divina adfulgente gratia,
EXERCITIUM ACADEMICUM

USUM LOGICES

ⁱⁿ
HISTORIA NATU-
RALI Sistens,

Qvod

Consentiente Ampliss. Facult. Philos. in Regia ad Aurana
Academia,

PRÆSIDE

CAROLO FRID. MENNANDER,

Scient. Natural. PROFESSORE Reg. & Ord.

Publico bonorum examini modeste defert

P E T R U S K I E L L I N ,

Ostrobothniensis.

In auditorio superiori horis solitis ad diem 31. Oct.
A:o MDCCXLVII.

A B O Æ,

Excid. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

Plurim. Rever. atque Praclarissi-	Plur. Rev. atque Praclarissimo
Dn. GUSTAVO BOGMAN,	Dn. Mag. JACOBO GARVOLIO,
Pastori Eccleſ. Brahestadi- ensium Vigilantissimo.	Pastori Eccleſ. Sijkajokien- ſum meritissimo.
P'ur. Rev. atque Praclarissimo	Viro Consultissimo,
Dn. Mag. PETRO NIC. MATHESIO,	Dn. HENRICO KLOUVENSICH,
Pastori Pyhæjokiensium meritissimo.	Consuli Civitatis Brahest. æqvissimo.

PATRONIS & FAUTORIBUS PROPENSISSIMIS.

Spero Vobis, Patroni & Fautores propensiſſimi, non
dſpliciturum conſilium, dum nimirum bas ſtudiorum
meorum primitias qualicunque Minerva conſcriptas No-
minibus Vestris dicatas conſecratasque eſſe volui. Erit
id iſpum, quod gratiſſima mentis acceptione venerabor, ſpem-
que ulterioris favoris mihi addet certiſſimam. Excipite
itaque ferena, uti ſoleti, fronte, quas in perennem bene-
ſiſtorum memoriam & grati animi ſignificationem Vobis
offerro pagellas, pro Veftra Veftrorumque incolumitate vota
nuncupaturus ardentiſſima.

NOMINUM VESTRORUM

Devotus & obſervantissimus Cultor
PETRUS KIELLIN.

Påst Inspectoren och Råd-	Råd- och Handelsmannen
mannen i Brahestad /	i Brahestad /
Adel och Högvälvadtad /	Högvälvadtad /
Herr O L O F	Herr J O H A N
CARLEEN,	S V E L I U S,
Min Gunstige Gynnare.	Min högtährade Gynnare
	och anhörig.
Handelsmannen i Brahestad,	Handelsmannen i Brahestad
Högvälvadtad	Högvälvadtad /
Herr ALEXANDER	Herr M I C H A E L
FREITAG,	JURVELIUS
Min Sögtährade Swäger.	Min Sögtährade Swäger.

Nyttagen dese blad / Anhörige och Wänner/
Nil tackfamhet för all den gunst jag ninta fått.
 At gäfwan ringa år / jag finner och betiänner;
 Doch Edert Adelmod tar mot hwad jag förmårt.

Den Högste låte Ehr all önsklig välgång hånda/
 Tils I Ehr lefnads tÿd med hugnad sluten af:
 En sådan önskan jag til Himlen wil uppsända/
 Så linge blodet rörs / och tils jag lägs i graf.
 Mine Gynnares och Sögtährade Swägrars

PETRUS KIELLIN

Hörsamle Dienare,

PETRUS KIELLIN.

Råd - och Handelsmannen i Brahestad /
Högwälachtad /

Herr PETTER KIELLIN,

Min Högtårade liare Fader.

När man all den godhet väge som i Faders namnet är/
Om man all den liärlet såge som et Moders hienta
hår/
Då ej råd ej möda spares/ til den spåda äldrens stöd/
Skulle däruti årfaras största ömhets öfverstöd.

I min Fader med min Moder flit och möda icke spart;
Värnads elden i mig läder/ will utbrista uppenbart.

I ha'n ymnig godhet wisat/råd och kostnad all tillagt/

I ha'n mitt bekymmer lisat / I ha'n mig på wägen
bragt.

Genom Eder godhet öma framvårs hår mitt första prof/
At jag ej må shwas glödiga all män plicht med mer upskof.

Tilstar väl thet svarar ringa mot det myckna I lagt
an/

Doch der krafren jmå och inga/tas det lilla som man
kan.

Himlen fylle hwad mig felas! kröne Et med friid och roo!
Lät Et alsköns godt tildelas/at I mägen grönskas/groos/


Er och Edra barn til hugnad! tils i åntlig flytta få n
Ur vår storm til himlen lugna/ och til sälla ländre gän.

Önskar

Min Högtårade liare Faders

Eydigste Son,

PETRUS KIELLIN.



P R A E F A T I O.

Non defuturos existimamus, qvi nimis abje-
cte, nescio qva præcipitania ducti, de Lo-
gica sentiunt, qviqve eam nihil conferre
ad scientias tradendas putant; verum po-
tius ad ineptias difficiles & vanas subtilitates eam
esse relegandam contendunt, utpote qvæ in spem
tantum futuræ oblivionis addisceretur. Sicut au-
tem hi vel spuriam didicerunt Logicam, vel ge-
nuinæ naturam & applicationem non perceperunt,
ita ab altera parte deprehensi sunt rationalistæ,
qvi in periculoso incident scrupulos, niñium lau-
des ejus extollentes, & plane divinam cum Kec-
kermanno (4) eidem adscribentes lucem. Nos tamē
meliora edocti, medium tenentes utrumqve extre-
morum rejicimus, usumqve Logicæ per totum e-
ruditionis campum late sese extendentem defendi-
mus, & utile Organon Logicam esse, ad usum
omnium disciplinarum & facultatum, asserimus. No-
tum enim est, mutuo nexu inter se jungi disci-
pli-

(4) vid. Meisn. Philos. Sobria pag. 34.

2
plinas; nonnullas ita esse comparatas, ut absqve
illarum cognitione vix Feliciter in reliquis progre-
di possimus, vel qvod principia inde petenda sint,
vel qvod intellectum in omni operatione sua ma-
nuducant. In his Logica est, qvod appetet ex i-
psa ejus officio, qvod consistit in tradendo regu-
las, qvibus facultas cognoscitiva dirigitur in veri-
tatis cognitione, & ut monstrat modum, qvomo-
do hæ regulæ in qvovis casu rite sint applicandæ.
Hæc prima nimirum tradit adminicula omnis sci-
entiae Philosophicæ; hæc in deliberando ac decer-
nendo cogitationes nostras regit, hæc & veritatem
invenire, & inventam aliis demonstrare docet, un-
de jure meritoqve medicina mentis salutatur. Est
itaqve hujus disciplinæ is in reliqvas influxus, ut
sine illa in caligine qvasi verletur litterarum cul-
tor, neciens, qvorum se recipiat, cum omnia si-
bi confuse representent, contusamqve habeat regu-
larum notitiam, juxta qvas operationes mentis in
cognitione veri diriguntur, hinc etiam in appli-
catione earundem læpissime hallucinatur, dum ad
casus similes judicat. De necessitate porro & usu
Logicæ artificialis in omnibus scientiis testantur
tot eruditorum egregia scripta, exhibentia Logi-
cam ad singulas disciplinas applicatam. Et qvid
opus est multum morari in ostendendo Logicæ u-
su, cum erudito orbi notum sit, ad hoc fasti-
gium, in quo nunc florescit reliqua Philosophia,
eam per subsidium Logicæ sensim sensimqve as-
cendiſſe?

scendisse? Nostrum autem hac vice est, usum Logices in historia Naturali speciatim delineare in sequentibus pagellis, quas ut benevolus Lector benignè excipiat, per officiose rogamus. Cum autem singula & heic conjectari, operosum nimis esset, quædam tantum & nostro judicio potiora, circa primam præsertim mentis operationem & usum terminorum, breviter indicabimus. Per historiam vero naturalem non omnium naturæ factorum descriptionem, sed sensu arctiori illam tantum ejus partem, quæ corpora triplicis naturæ regni recentet, nominat & describit, in prælenti opella intellegimus.

§. I.

UT in limine mox appareat, quanti usus in historia naturali sit Logica, faciem historiæ naturalis antiquiorem, dum absqve hoc Ariadnæo filo illa tumultuario austu huc & illuc vagabatur, paucis delineabimus. Ita patebit, quibus modis & quæ via vel jam facta sit, vel in posterum speranda, ejus emendatio. *Aristoteles* primus fuit, qui Logicam certis regulis & præceptis inclusit. Idem de historia naturali condenda fuit solicitus, & Alexandro M. auctore, naturalia rimatus est & descriptis, erogata qvotannis ingenti pecuniæ summa, ex nonnullorū mente 24000. circiter florenos æquante, in pescatores, venatores, aliosqve, ut sua circa mineralia, plantas & animalia observata in sinum ejus effunderent. Sed obcura sicca & jejuna illa

4
sunt, qvæ circa naturalium cognitionem ad nos
pervenerunt hujus Philosophi opera. Qui hunc
excepere, Patres *historiae naturatis*, felicius ipso in
hoc studio versati sunt, & ex multiplici illa varie-
tate, qva superbiunt trina naturæ regna, aliquæ
obſervarunt & descripterunt haud infeliciter, ple-
raqve tamen insufficienter satis, descriptio-
nē qvoqve suas otiosis contemplationibus & fabulosis
narrationibus haud raro interpolabant. *In sequentie*
ari historici naturales commentationibus in Patres tem-
pus plerumqve perdebant, inopia enim descriptio-
num exactarum hallucinari cogebantur, & præ-
terea in climate temperato ea restituere conaban-
tur, qvæ olim in climate calidiori fuere inventa.
Addebatur vero, ne deeffet huic molimini ornatus,
eloquentiæ & philologiæ thesaurus, antiquitatibus,
citationibus & tuſfragiis auctorum, controversiis
qvoqve variis & plerumqve inanibus omnia imple-
bantur. De ordine rerum naturalium systematico
non cogitabatur, nec ad palmarias notas earum
diagnosticas adtendebatur, hinc qvoqve varietates
pro speciebus ſæpius venditabantur. Termini inde
artis reddebantur plurimi, æqvivoci & indetermi-
nati. Narrationes qvoqve ſuperſtitioſæ & fabuloſæ
larga manu inspergebantur, plurimo cum philoſo-
phiæ damno, utpote cuius infantia, cui *historia natu-*
ralis primam praebet mammam, fabulis anilibus non debet
affueſcere. (b) Hæc adeo vaga & fallax experien-
tia

(b) Verulam. paraf. ad *bistor. nat.* §. exper. §. 3.

ta non potuit non imaginationis ludibria parere in superstructa theoria. De cognitionibus vulgi colligendis, & usibus rerum naturalium œconomicis & physicis, raro cogitabatur, vires vero earum medicinales ex veterum scriptis & formulis hauriebantur. Ab Hippocraticarum observationum puritate in arte salutari recedebatur, & Galeni premebantur vestigia, qvi medicinam subtilius quam verius, péripateticis dogmatibus ad servitutis infamiam usque, explicuit; judice illi Boerbavio (c) Hinc ex elementis, qualitatibus cardinalibus & humoribus quatuor, explicabatur medicaminum efficacia. Qvis non vel ex allatis videt, ex tot lepibus & spinis, quibus erat undique obsoita, non potuisse aliter eluctari hanc cognitionem, quam ut caste observaretur natura, figuramentis & inanibus omnibus rejectis, ut rite describerentur res naturales, ut notiones genuinæ illis constituerentur, ut ad species fixas, genera, classes & ordines redigerentur, & sistantur compareantque ordine idoneo, ut termini quilibet certi reddantur significatus? Qvis non animadvertis, haec & talia ejusmodi ope Logicæ genuinæ fieri oportere? Qvis denique, qvi faciem historiæ naturalis hodiernam vel leviter & per transennam videt, non deprehendit, huic viæ institisse viros summos, qvi historiam naturalem emendarunt, auxerunt, & locupletarunt?

§. II.

Notum est, triplicem dari humanæ cognitionis gra-

(c) Inst. Med. §. 15.

gradum, *historicum*, qvi in factorum notitia subsistit, *philosophicum*, qvi caussas & rationes factorum reddere conatur, & *mathematicum* denique, qvi quantitatem caussarum & effectuum determinat. Ita etiam res naturales vel qva phænomena, vel qva caussas, vel qva dimensionem effectus quantitatem cognoscuntur. Solet primus ille gradus præterea vocari vulgaris, cum plebis cognitiones aliquas complectatur, & infimus, idem tamen fundamentum & basin reliqvis subministrat. Vel ex ipso historiæ naturalis nomine apparet, illam ad primum hunc cognitionis gradum pertinere. Contemplatur & recenset hæc facta divina, ut historia civilis in hominum factis exponendis occupatur, & ut hæc stultitiae sæpe humanæ, ita illa sapientiæ divinæ ubique pandit vestigia. Cum autem non fingendum aut excogitandum sit, sed inveniendum, qvid natura faciat aut ferat, elucescit, ad observationes & experientiam præcipue esse ablegandum historiæ naturalis studiolum. Est hæc sedulus & legitimus sensuum usus, cui conjungitur mentis attentio & judicium, qvo examinantur objectorum singularium proprietates & effectus, ut clara & distincta inde oriatur idea. Regulæ itaque Logices, qvas de experientiis rite instituendis, deqve evitando subrepotionis vitio, ne sinistre aut propere judicando ipsi nobis imponamus, exhibet, sunt sedulo ad usum vocandæ. Observationes sæpius & circa plura individua instituendæ & repetendæ sunt, qvo ita certiores

7

tiores reddamur, qvid ad attributa & proprietates, qvid
ad variationes, modos & accidentia sit referendum.
Continuandus hic labor est, nec tempori parcendum,
omnesque qui possunt, adhibendi erunt sensus, &
res variis modis debet pertentari. In auxilium et-
iam, ubi fuerit opus, vocanda microscopia aliaque
instrumenta simpliciora, quibus vis infertur naturae,
ut ea exhibeat, quae alias occulta manerent. Cum
autem unius hominis industria ob brevitatem vitae
& latissimos naturae terminos parum omnino effi-
ciat, erunt etiam illa consulenda & in usum tra-
henda, quae aliorum sagacitas invenit, & nostrae
aliorum jungenda experientia. Quo in negotio u-
sui maximo sunt illa, quae de librorum lectione &
dijudicatione praecipit senior Logica. Ast cum sint
experientia propria collectae ideae perfectiores &
vi-
vidiores iis, quas ab aliis haurimus, sunt enim pri-
ores ideae rei ipsius, posteriores ideae tantum descriptio-
nis rei, quae secundum librum & personam potest sa-
pe esse talia, propriis sensibus rem lustrare tenetur hi-
storicus naturalis, quoties unquam occasio suppetit.

§. III.

Primus itaque historici naturalis labor est, ut
historiam condat rei sensibus obviae, & ea omnia
enarret, quae circa eam observantur. Erunt hec
partes omnes externae accurate terminis artis de-
scribendae, tam maiores quam minores, & tam ipsi-
us corporis, quam partium ejus externa facies, co-
lor & magnitudo determinanda. Quae vero verbis

describi non possunt, ex apposito schemate dilucida-
 buntur. Ad numerum, figuram, situm & pro-
 portionem sedulo erit attendendum. Erunt præter-
 ea phænomena reliqua ordine naturali annotan-
 da. Tempus & modus quo oritur res, incre-
 menta capit, viget, copulatur, parit, decrevit &
 demum interit. Locum etiam natalem, alimenta,
 actiones & mutationes observare convenit. Nec
 corporis anatomiam & interioris structuræ ac con-
 tentorum considerationem negligere decet. Erit
 qvoqve subjectum nostrum cum aliis rebus confe-
 rendum, commiscendum combinandumq, qvo ita
 novæ mutationes per conjunctionem talem rerum
 naturalium alias non conjunctarum producantur,
 & non proprietates modo rei, sed etiam actiones
 & passiones mutuæ, mutationesqve, respectu co-
 lorum & odorum, caloris & frigoris, permanen-
 tiæ in aëre, igne, aqua &c. innoteant. Ulus de-
 niqve œconomici, physici & medici erunt in lu-
 cem trahendi, aliaqve ad rei, de qua qvæstio est,
 cognitionem qvomodocunqve spectantia. Ne ve-
 ro confusionem pariat tot circumstantiarum consi-
 deratio & descriptio, ordine procedendum erit na-
 turali, singulæqve partes & mutationes seorsim in
 charta, qvælibet sub nova linea, erunt annotandæ.
 Completa ejusmodi rei delineatio dupli historiæ
 naturalis fini satisfacit, non modo enim segetem
 uberrimam sistit, unde sibi constantes & comple-
 tæ notiones acquirantur, qvibus agnisci possunt
 res

9

res, sed etiam fœcunda exhibit principia, qvibus ratiocinia de rebus naturalibus superstrui possunt. Fatemur communis usū invaluisse, ut historici naturalis munus intra notiones rerum naturalium nominales condendas, qvibus oblatæ dignoscantur, constringatur, interior vero & accuratior rerum consideratio, tanquam ad aliena forā anatomicorum, chymicorum, physicorum spectans, vel plane non, vel rarius & parcus ab historico attingatur. Sed præterquam qvod jejuna nimis & sterilis evadat historia naturalis, si tantum in nominandis, dignoscendis & ordinandis rebus naturalibus illa occupabitur, optima occasio est historico naturali, observationes qualescumque de specialibus rebus naturalibus colligendi, cum philosophis & physicis raro vacet, ad particularium sylvam descendere.

§. IV.

HAECENUS in singularibus vel individuis occupata fuit historici naturalis experientia & opera. Prolixus, imo infinitus foret labor, ita per singulare ike, cum illa sint adeo numerosa, ut omnium haberi non possit cognitio, nec manipularis nostra experientia eo sele extendere valeat. Sunt præterea hæc mutationibus & inconstantia obnoxia, adeoque perfectam non pariunt scientiam, nisi contingenter subjecto competentia excludantur, & ad ideas plura individua continentis, vel specierum, primo ascendatur, deinde ad generum altius altiusque, qvæ ideæ univerales suam servant naturam

turam, fundatam in singularibus. Conferendæ nimis inter se sunt res singulares, videndumque, in quibus inter se similes sint, & in quibus discrepent. Haec per abstractionem omittenda sunt, similitudine vero individuorum oriuntur species. Dissimilitudo autem rerum constituit differentias, quæ si memorabiles & insignes fuerint, non plane indicatae prætermittendæ sunt historico naturali, sed tum *variationum* nomine insigniuntur. In detegendis vero investigandisque notionibus unamquamque speciem aut genus ab omnibus aliis distinguenteribus, rite si versari debeant Historici Naturales, regulis omnino Logices illos instructos esse debere, intellectus hominis imbecillitas non tam evadet quam jubet. Nam nisi notiones clarae & distinctæ substruantur, ubique incertitudo & confusio dominabitur, ad certam autem rerum cognitionem omnis præclusa est via. Tres autem ad notiones pervenienti modos Logica nobis prescribit, *reflexionis* nimis super iis, quæ sensibus percipimus, *abstractionis* universalium a speciebus, & *arbitrariae compositionis* & *determinationis* notionum jam antea inventarum, quibus viis insisteret debent etiam historici naturales. Hinc tot rerum notiones consecuti sunt claras & distinctas; hinc tot genera & species inventæ sunt; & denique tot constitutæ classes & ordines, ut gratulemur nostro ævo, quod non nisi genuina genera & species per omnem historiæ naturalis campum ad-

admittantur, genuina notione & fixo nomine instructa. Notio ejusmodi distincta & completa speciei vel generis, nec nisi individuis ejusdem speciei vel generis constanter competens, definitio salutatur. Circa illam construendam generaliter tenendum est, ut terminis sive nominibus vagis & indeterminatis abstineamus, de qua re in §. seq. VI. utque constare debeat ex nomine generico, sive conceptu rei definiendae cum aliis communis & differentia specifica, sive conceptu proprio, quo species a congeneribus suis differt. Gradus ergo inferior semper comprehendere debet superiorem, cum aliqua determinatione. Erunt vero species & genera naturalia, neque in iis determinandis arbitrio relictus est locus. Totum nimurum constituentia sunt species, quot ab initio res diversae formae & structurae productae sunt; quae vero harum species quoad attributa communia proxime convenient, ad unum genus erunt referendae. Praecipit vero Logica, definitiones construendas non alias notas ingredi oportere, nisi quae rei constanter insunt, unde certo certius colligitur, eas a partibus rei non variabilibus petendas esse, & eorum cognitionem minime esse genuinam, qui notas lubricas, incertas & fallas, pro firmis, certis & mechanicis venditare cupiunt. Notae itaque a magnitudine, loco natali vel domicilio, tempore, colore, odore, sapore, ulu, texu, monstrositate, hirsute, duratione & multitudine desumptae &c. fallae sunt,

cum hæ notæ nunquam per se speciem diversam constituant, hinc neque in nomine specifico locum obtinere possunt, de qvibus prolixius D. Linnacus.
 (d) Interim tamen non infimi subtellii historici naturales ad notas ejusmodi spurias attendentes, jura quasi divina involarunt, novas in natura rerum non inveniendas rerum naturalium species plurimas constituerunt, & quasi nova corpora produxerunt. In Botanicis Columnam, C. Baubinum, Morisonum, Pontederam, Barrelierum, Michelium, Tournefortium adeo multiplicasse species observavit Linnaeus, ut voti res sit, vel nonam earum partem veram esse. (e) In Sebae etiam thesauro eadem animalia repetitis vicibus & sub diversis nominibus haud raro delineantur. Notæ autem ut firmæ, certæ & mechanicæ solæ recipientur, postulat omnino ratio. Qvod quoque momentum in usus iros convertunt historici naturales genuini. Non tamen plures aut pauciores notas in definitione reqvirit logica, quam quæ rei agnoscendæ, & omni in casu ab aliis distinguendæ sufficiunt, ne ab una parte manca, aut ab altera abundans & superflua evadat definitio. Hinc perfecta est, dum vel unicum præcipuum rei characterem exhibit. Eo vero perfectiores in historia naturali sunt ejusmodi notæ characteristicæ, quo minori negotio sensibus sunt obviæ.

§. V.

(d) *Vid. Critic. Bot. de nom. Specierum & Archedi philos. siph. Ictyol. p. 78.*

(e) *Critic. Botan. §. 259.*

§. V.

CUM vero notiones specierum evadant tam variæ & sparsæ, ut intellectum confundant, opus insuper est, ut ad genera non inferiora modo, verum etiam superiora, redigantur. Abunde apparet ex logicis, quanti ulus sint notiones universales, quamque mirum in modum cognitionis humanæ limites per eas extendantur. Definitiones ejusmodi universaliores convenient singulis individuis sub illo genere vel specie comprehensis. Ita & facilitius memoria servatur cognitio nostra, & redditur ad plures casus applicabilis, atque ad omnes res homogeneas feliciter extenditur. Hinc usu venit recentioribus historiæ naturalis doctoribus, ut, reqvirente id specierum in regno præsertim vegetabili & animali multitudine, ex observata eorum similitudine genera primum condant, ex generum convenientia ordines postmodum construant, ex ordinibus classes componant. De ejusmodi classificatione non erant solliciti antiquiores, neque illa magnopere opus habebant, cum paucæ rerum naturalium species essent illis cognitæ. Hinc vel alphabetico ordine collocabantur species, vel contenti erant, animalia in perfecta & imperfecta, sanguinea & exsanguinea, aërea, aquatilia, terrestria amphibia &c. dividere. Vegetabile regnum in arbores, frutices, plantas, olera &c. distinguebant. Hodie autem, dum sollicite excutiuntur almæ matris naturæ latebræ omnes, dum illa etiam naturalia,

qvæ

qvæ minoris momenti & plane contémnda antiquis censabantur, catervatim describuntur, absqve systematica dispositione non possumus in natura cognoscenda feliciter versari. Plures jam muscorum, fungorum, graminum, algarum descriptæ sunt species, qvam olim in universum erant cognita vegetabilia. Insectorum cognitione hodie latitudine sua reliqvam superat zoologiam. Hinc jam suo ævo *Caesalpinus* de multitudine plantarum asserruit: nisi in ordines redigantur, & veluti castrorum aries distribuantur in suas classes, tumultu & fluctuatione omnia turbari necesse est. Primus vero de lapidibus in ordinem redigendis, sollicitus fuit *Conr. Gesnerus*. Idem a fructificatione plantas esse distingendas monuit, de qvarum ordine *Caesalpinus* & *Bauhini* proprius cogitarunt. De animalibus ad systema referendis demum *Rajus* & *Linnaeus* cogitationem suscepserunt. Longius vero, dum ejusmodi systematis ductum seqvitur tiro, uno anno progreditur, qvam alias per integrum ætatem. Accedit alia ex systematica naturalium cognitione utilitas, qvod nimirum vires ipse rerum naturalium, cognita ejusmodi affinitate, cognoscantur, & de analogiis rerum possit judicari. Qvæ enim genere convenient, qva vires etiam coincidunt. Hinc debet systematis conditor non facilitatem modo naturalia cognoscendi, sed insuper symmetriam naturæ intendere. Quem in finem tantopere exoptant botanici inventionem systematis naturalis, cum haec tenus coa-

15

coacti fuerint, ut systematis artificialis assumti regulas servent, a certa fructificationis parte desumere dispositionem, adeoque classes naturales haud raro infringere. (f) Vires itaque intellectus nostri, quæ alias rerum copia longe minores sunt, per systematicam cognitionem ita elevantur, ut πάντας τὰς φύσεις (g) ex natura addiscere possimus.

§. VI.

Ita regnum minerale in classes tres a Linnaeo dividitur, petrarum vel lapidum simplicium, cui ordines tres, vitrecentium, calcariorum & apyrorum cum suis generibus & speciebus substant; mineralas vel lapides compositos, cui salia, sulphura, mercurialia tazquam totidem ordines subjiciuntur, & demum fossilia vel lapides aggregatos, ubi terræ, concreta & petrificata locum cum suis generibus & speciebus obtinent. Cogimur vero ob simplicitatem hujus regni ignem fæpius ad excusenda signa diagnostica in subsidium vocare. Regni vegetabilis plura jam prostant systemata, quorum quodlibet, quamvis anomalias aliquas habeat, specierum combinationes & separationes novas, non minusque mutationem, habet tamen simul novas cognitionis accessiones, & scientiam vegetabilium clariorem reddit. A fructificatione vero, utpote maxime conspicua plantarum parte, ubique præsente, & variationi minus obnoxia, classes vegetabili-

(f) Conf. Linnaei fragmenta methodi naturalis.

(g) 2 Petr. I. 3.

bilium construxerunt Botanici, & vel ad corollam, vel calycem, vel fructum attenderunt. Tandem experientissimus *Linnaeus* ex omnibus partibus fructificationis, secundum numerum cuiusque, figuram, situm & proportionem, generum characteres constantes & naturales construxit, & ex sexu plantarum, quem ante eum *Grevius*, *Camerarius*, *Vallantius*, *Bradleyus* in specialibus tantum casibus observarunt, & dubio satis animo indicarunt, ex sexu inquam plantarum, quem ubique obtinere contendit, novum condidit systema; quod ex ipsis naturæ penetralibus esse haustum, & naturali methodo proximum, & illi coguntur concedere, qui alias cum Viro Exper. non usque quaque consentiunt
(*) Regnum animalium quod concernit, abie illud sua natura in classes sex; quadrupedum, avium,

am-

(*) Conf. C. G. Ludvigii *observationes in methodum sexualem Cel. Linnaei*, p. V. Varia ibi monuit Vir. Clar. circa sistema sexuale, quae tamen proprius considerata facile in ventos abeunt. Ita taxat divisionem florum in visibiles & oculis non obvios, cum conceptus negativus hic evitari nequeat, & visus sit ingens differentia, ita ut multa sint uni visibilia, quae alteri non patent. Tandem contradictionis arguit Linnaeum, quod saepius descripsit flores plantarum inter cryptogamas a se retatarum, adeoque afferuerit se vidisse flores haud visibles. Sed non ignotum est, in ideis exacte sibi oppositis unam admitti a genuina Logica negativam. Fru-

Amphibiorum, Piscium, Insectorum & Vermium. Ordinum divisiones in primis a dentibus, vel ab unguis & ungibus peti possunt, in secundis a figura & proportione rostri. *Amphibia* in *reptilia* & *serpentia* dividuntur. In *piscibus* figura capitis & situs caudæ notas subministrat. *Insecta* in *coleoptera*, *gymnoptera*, *hemiptera* & *aptera* semet dividunt. *Vermes* denique in *Reptilia*, *zoophyta* & *testacea*, præeunte ipsa natura, dispelicuntur.

C

§. VI.

stra vero ad visus differentiam provocatur, sanus enim oculus facile potest plantam cryptogamam ab aliis distingvere. Quamvis denique flores aliqui plantarum cryptogamarum intra membranam vel ampullam obiecti latent, possunt tamen illa sublerata, videri, hinc etiam ab acutissimo Linnæo descripti sunt. Deinde sexus diversitatem non posse constituendis in methodo generibus summis inservire, inde concludit observator, quod accidentales vegetationis conditiones lusus saepissime producent, cumque species ratione sexus non raro diversae reperiantur. Prius fatemur aliquando fieri, sed rarius circa stamina & pistilla quam reliquas plantæ partes, neque tanti est accidentarius ille lusus, ut methodum hanc convellat. In posterioris asserti confirmationem producit Lapatha & Acetosas a Linnæo sub Rumice comprehensas, quae non tantum flores hermaphroditos producunt, sed & ad monœcias, diœcias, imo polygamias referri possent. Concedimus hoc fieri potuisse, si genera natura dirimere voluisset auctor, naturæ studiosis-

§. VI.

NOtiones; quas de rebus naturalibus nobis formavimus, indicabunt voces & termini, quibus observata & cogitata nostra aliis communicare vel scripto vel ore possumus. Non autem condendae sunt modo definitiones vocibus populibus constantes, sed etiam, ne frequenter & tædiosæ definitiones tuas pluribus verbis conceptas recitare tenearis, & perspicuitati obex ponatur, termino

simus. Ne vero obcuritatus quid lectori remaneret, species ejusmodi literis minusculis indicavit in ipso sistente suis locis, cœn etiam circa has factum est. Quanto vero jure Achyrantes & Celosiam ab Amarantis distinxerit auctor, quamque dispar hic a priori illo sit casus, abunde ostendunt genera ejus plantarum. Quae de Corispermo assert Ludvicius, in sis errat, a Waillantio seductus. Frustra etiam questionem moveat, an in illis plantis, ubi flores mares hermaproditis apponuntur, haec sit lex naturae, an lusus; non enim toties occurrunt aberrationes aliquae, ut consuetudines hæc naturae inde condellantr. Defectum succi nutritii heic suspicatur observator, cum in Te tragonia superiores flores mares sint, & desituantur ovario, figuram tamen florum hermaproditorum inferius positorum exakte referant. Sed flores hi omnes pistillo gaudent, quod vero non omnes sint fructiferi, non magis mirum, quam in pyro. Deinde ad staminum cohaesionem examinandam se accingit. Talia ramina,

mino unico qvælibet earum designanda & indicanda est. Ostendunt omnium ætatum controversiae, ab ambiguitate & æqvocatione vocum mala plurima orta esse, neqve alia medicina huic malo potest adhiberi, qvam ut stili & orationis simplicitati & proprietati detur opera. Debent itaque voices & verba, qvibus utimur, ita conceptas de rebus notiones nostras indicare, ut audientes vel legentes eas quoque capiant. Hinc certo & defi-

qualia in Hyperico inveniuntur, non facile se comprehendisse afferit, quae itaque, quamvis e generibus Linnæi admonitus, examinare aut non potuit, aut non voluit. Nec adest aliqua ratio, cur Oxys, Delphinium, Aqvilegia, Aconitum, essent inter polyadelphias collocandæ, non enim cohaerent illarum stamina, cœ observatori visum; quamvis in primo genere capsulae membranae videantur quasi connectere stamina, non tamen reapse connectunt, in reliquis etiam minime cohaerent, verum membranae s. filamenta distinguunt. Fallitur quoque in eo, dum ad syngenesian plures plantas potuisse referri contendit, utpote Borraginoidem T. vel Boraginem L. & Solani quædam species. In his enim antheræ cohaerent tantum lana & pappo, nunquam coalitæ, hinc in senescentibus floribus sponte discedunt. Rarissime denique situm staminum in stilo se invenire potuisse contendit. Partem illam in Orchidibus, quam appellat stilum Linnæus, potius tuberculum nectarii vel sexti petali dici vult: plant tamen Or-

nro sensu semper erunt sumenda, sine aliis significationis mixtura. Est hic ad usum communem maxime respiciendum, neque a recepto verborum significatu licet temere recedere. Qvando vero in usu vocis adfuit inconstantia, qvod læpius evenit, cum in nominum impositione vulgari casus plurimum, contilium parum valuerit, erit ad significatum determinatum reducendus. Sunt autem termini duplicis generis, vel vulgares, in communia vita occurrentes, qvibus usus loquendi popularis significationes imposuit, vel technici, in artibus & scientiis obvii. Cum enim eruditæ plura in rebus distingvant, qvam illa sunt, ad qvæ vulgus hominum, cui lingvas debemus, attendit, cumq; accurate scrutentur rerum differentias, & antea male determinata melius determinent, coacti fure, vocum significationem mutare, ampliare, constringere, addere vel demere earum sensui, nova-

que

chides manifeste a Linnæi partibus. In Passiflora quoque stamina ad basin ovarii posita esse statuit, adeoque non stio, sed receptaculo ovarii columnari adhaerere, qvod etiam de Grevia valere affirmat. Haec vero columna, cui stamina in his plantis imponuntur, utique pro parte pistilli habenda est, alias darentur plantae, essentiali adeo parte ac pistillum est, carentes. Leuioris itaque momenti, nec experientia corroborata sunt ea, qvæ adversus Cel. Linnæum monuit Ludovicus.

que vocabula saepius invenire. Haec primis rerum inventoribus jus est imponere, adeo que cives suos non modo copia rerum augere, sed et verborum (b) Quæ verba, nisi plane absonta fuerint, tenentur justissima & æquissima lege, recipere reliqui. Non itaque studio terminorum innovandorum incumbere licet, aut libertate fingendi voces, in cognitionis humanae emolumenntum nobis concessa, in ejus detrimentum abuti. Recte itaque Rajus: *Quam minimum potest innovandum, neque mutanda nomina communii usu recepta eorumque significations, ad confusiones et errores vitandum.* Norunt in historia naturali vel medocriter versati, quantas in eadem tenebras, quantum incertitudinem nominum multiplicatio introduxit. In hunc morbum multi historiæ naturalis scriptores inciderunt, qui, cum in rebus ipsis nihil peculiare habeant, in vocum tamen immutatione nescio quam elegantiam & sui commendationem quæsiverunt, vel etiam novitate terminorum suis hypothesisibus velificari voluerunt. Synonymorum caterva, & vocum barbara colluvies tanta inde orta est, quæ obicem progressibus ponit, & patientiam omnem fatigat. Inde originem duxerunt plurimæ de nominibus dissensiones, & controversie encurbitariae, qualis fuit inter Hieronymum & Augustinum, de planta illa, cuius umbra tantopere gavisus est Jonas (i). Erunt vero termini fixi & univoci, eandem

(b) Cicero in Acad. qnaest.

(i) S. Werenfelsis diff. de logomachiis eruditorum p. 10.

dem notionem invariata m semper servantes. Hinc Tournefortius; Neque duo diversa nomina cum eadem notione, nec duae notiones cum eodem nomine conjugi debent, nisi forte in eorum sententiam eamus, qui rem herbariam sine ordine instituendam esse contendentes, solo usu diuturno addiscendam existimant. Nec licet adhibere eundem terminum ad significandas binas res, nisi aliquando in diverso foro, ubi confusio notionum non est facile metuenda. Ita aquatilem *Lupum* cum sylvestri, plantam *Ricinum* cum insecto, Iridem terrestrem cum cœlesti, *Plumbaginem* regni vegetabilis cum minerali, *Bidentem* vel *Gladiolum* plantas, aut *Acum*piscem, nemo cum utensilibus ejusdem nominis confundet. Utendum etiam historico naturali erit terminis propriis, non figurato & pathetico dicendi genere, hoc enim in pure speculativis ludicre adhibetur, oculo tranquillo considerandis, & ubi affectibus non est locus. Brevitati vero & perspicuitati erit ubique litandum. Præcepta reliqua circa usum vocum & terminorum apud Logicos legi possunt. Qvo autem modo descriptiones suas componant historici naturales, quas voces & terminos tanquam genuinos admittant, ejus rei exempla apud optimæ notæ recentiores occurrunt. In primis apud Celeb. *Linnæum*, qui non modo notiones genuinas terminis subjectas dextre exposuit, verum & rem laboris & molestiæ plenissimam aggressus est, ut terminos genuinos ostenderet, inanes exploderet. Fecit id respectu regni vegetabilis in

Critica sua Botanica, sed datae ibi regulæ possunt facile cum levi immutatione etiam ad reliqua regna applicari.

§. VII.

Postquam ita justo ordine & methodo historicus naturalis sensibus tanquam exploratoribus uetus est in rebus naturalibus contemplandis, postquam illas descripsit & ordinavit, philosopho illam spartam relinquit, ut circa illas philosophetur, & ulteriora judicia ferat. *Est historia naturalis borreum & promptuarium rerum*, in quo non manendum aut habitudinem sit cum voluptate, sed eo descendendum, prout res postulat, cum aliquid ad usum sumendum sit (k). Subministrat historicus naturalis philosopho materiam primam ratiocinandi, & inductionis supellestilen; subministrat principia, phænomena & propositiones intuitivas, quibus, tanquam ratiociniorum suorum præmissis, uti potest, & e quibus abditas veritates demonstrationis via eruit. Hæc vero facta, quæ suppeditat historia naturalis, non possunt demonstrari, sed admittenda sunt ut vera, vel ob intrinsecas rationes, vel etiam, ob extrinsecam, testimonium alterius, erunt credenda. Neque multis regulis de dijudicandis & explicandis aliorum inventis, iisque convincendis, opus habet historicus naturalis, experientia enim heic ubique judex & arbitrus sedet, illa lapis Lydicus est, ad quam singula sunt examinanda. Nec disputationibus &

rixis

(k) *Verul. parafsc. ad b. n. & exp. §. III.*

rixis ut se se immergit, & aliorum errores recenset & refutet, necessarium est. Ei enim, qui dominum firmam extruere cupit, sufficit, ut de area idonea, instrumentis genuinis & materia solida sibi propiciat, non vero vicinorum infirmas dirue-re tenetur. Historicum enim naturalem ut in ob-servando attentum & oculatum, ita in ratiociniis castum & parcum esse decet. Has partes relinquit Philosopho, qui dum inventarium accuratum pos-fidet naturæ, dum pluribus artificiois experimen-tis proprietates rerum latentes in apricum produ-xit, & Mathesin ubique applicat, in causas & ra-tiones rerum inquirit, & ita scientiam naturalem ampliat, vitæque humanæ utilem reddit. Egregie de hoc labore loquitur Leibnitius: *Seculum nostrum mihi simile videtur homini, qui tota sua vita sub diu vi-tetur, magnam copiam materiae aedificii a posteris absolu-vendi comportat; aut sunt nostri philosophi similes merca-tori, cui in magna taberna & mercium copia duo deessent, inventarium & ars calculandi (1).*

(1) In Miseell. ejus p. 162.

S. D. G.



Politissime Domine AUCTOR,
Amice Singularis.

STUDIA subinde parvisieri, ac a multis despiciatai haberi, communis loquitur experientia. Qvis autem hoc miratur? Ars oforem non habet, nisi ignorantem; & suum cuique pulcrum est. Noctua Caligine delectatur, & talpa dum terram fodit, hoc in suis reponit lautitiis. Idcirco ut ridiculum esset, a caeco exposcere, ut colores, qui visum ejus elidunt, denominet, ita temeritatis nota est, & rudibus requirere, ut amorem studiorum habeant, quae nunquam didicerunt, & ex quibus nullam umquam percepserunt voluptatem. Ast etiam in odium & contemptum nonnullorum ita incurvant artes liberales, meritis ideo suis laudibus, & gloria ipsis tribuenda penitus non defraudantur; neque earumdem cultores odio hoc insciorum ab iisdem colendis deterrentur, sed per haec obsecula stimuli & incitamenta illis adduntur ad altiora indies spirandi; baud aliter ac palma sub onere accrescit. Et quamvis honorem litteratis insuper denegare omnem hujus furfuri homunciones soleant, nihil tamen exinde lucri capiunt; invident enim aliis honorem, quum ipse ullo indignos sese persentiant. Quanto, Amice optime, artium ingenuarum amore flagasti, satis superque liquet ex luculento testimonio, quod tua praesens eaque erudite conscripta perhibet dissertatio. Orbis eruditus & sinceri litterarum aestimatores non intermittent, & honore & praemio te condecorare. Ego vero fausta & felicia omnia Tibi ex animo adprecor!

Populari suo sic adplaudere voluit
GABRIEL G. HODIMUND.
O. B.

Domine RESPONDENS,
Amice Honoratissime.

Quem Tua Te virtus, Kielline, ascendere Pindi
Pulpita celsa jubet, das specimenque Tui
Ingenii, pariter nitido monstras documento
Artibus ingenuis quod fuerit studium.
Quem praestet Logie tria per vastissima regna
Naturae, fructum docta minerva docet.
Ausibus ergo Tuis faveat Qui temperat orbem
Nutu! Sic voveo, Terque quaterque vale!

Tuus ex affe

JAC. HELLBERG.
Ostrobothn.